IN nomine domini Amen. Cum in constitucionibus et ordinacionibus bonis vniuscuiusque communitatis atque eciam domus cuiuslibet salus et status
salubris consistat et conseruetur Nec reprehensibile indicari debet. Si secundum varietatem temporum consuetudines et constituciones quandoque variari necesse est. presser-
tim cum vrgens necessitas vel euidens vtilitas id exposcit. Proinde Nos Stanislaus Lowniensky decanus et Canonicus Wladislauiensis Significamus
tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris Quod de Anno domini Millesimoquingentesimo vigesimoprimo die decima July Constituti et ca-
pitulariter congregati Honorabiles domini Iohannes Grochola. Nicolaus Lwowko. Wenceslaus de Grabow. Martinus Wielun. Martinus Przedborz. Lau-
rencius Piotrkow. Iacobus et Michael vicarii ecclesie Collegiate beate Marie Wieluniensis perpetui habitis prius inter se multis tractatibus consultacionibus
et deliberacionibus de et super regimine et ordinacione status et domus ipsorum ac edificiorum que nuper a fundamentis muro erexerunt per que in suis necessita-
tibus et indigenciis variis possent in futurum subsistere et inchoata incrementa suscipere. Obtulerunt certas infrascriptas constituciones et ordinaciones de ipsorum vt
asserebant matura deliberacione et vnanimi voluntate et consensu factas et conditas per presentes et futuros vicarios qui pro tempore fuerint perpetuo tenendas et obser-
uandas Quarum tenor iste est. In primis constituerunt ordinauerunt et statuerunt vnanimi voce et obseruandum esse voluerunt vt quocienscunque occurrerit diuisio pecu-
niarum inter eos equa sorte distribuendarum de questu et obuencionibus tam de ecclesia Ciuitate et extra quolibet prouenientium vniuersis ipsorum dictorum vicariorum a quolibet
grosso tunc ex eadem diuisione obueniente vnum denarium pro fisco et necessitate communi domus. totiens quociens Item diuisionem fieri contingat conferre et contribuere debebit
et tenebitur. Similiter quatuor denarios resultantes post quamlibet tresima cunta seu appreciata in fiscum reponat. Item constituerunt et ordinauerunt prefati domini vicarii
quod dum et quocienscunque contingit vacari beneficium vicariatus cuiuslibet et ad illud nouus instituitur vicarius talis Institutus pro fisco communi tenebitur soluere mediam
sexagenam grossorum monete vsualis racione Installacionis et Introitalis. Nec prius admitti debet ad participacionem obuencionum et questuum nisi prius exsoluat predictam
mediam sexagenam Que pecunie debent conseruari in fisco communi et quando erit dispensari in securitate Senioris et omnium pro necessitate et vtilitate domus ipsorum
quociens et dum oportunum fuerit Preterea predicti domini vicarii debent singulis annis inter se eligere et deputare Seniorem virum maturum et discretum Qui domui
preesse et superintendere debebit Ac regimen et ordinem bonum tam in ecclesia quam in domo procurare facere cui ceteri fratres vicarii in omnibus licitis et honestis
tamquam Seniori intendere et obedire debebunt iuxta ordinacionem et disposicionem Reverendi domini ordinarii desuper factam. Volentes et statuentes quod deinceps per-
petuis temporibus hee eedem constituciones vigeant exerceant et teneantur per omnes et singulos dictos vicarios pro tempore existentes ad quas se et suos succes-
sores qui pro tempore fuerint vicarii tenendas se submiserunt sub penis vnius floreni et excommunicacionis per decanum pro tempore existentem promulganda. Aliis vero
omnibus consuetudinibus ritibus Constitucionibus laudabilibus antiquis in suo robore permanentibus quibus per presentes in nullo derogandum esse voluerunt
Petentes predicti domini vicarii cum instancia predictas constituciones per Nos decanum predictum approbari ratificari et admitti. Nos itaque deca-
nus memoratus attendentes predictas constituciones bonas et iuri non dissonas. eas duximus approbandas et ratificandas. decernentes eas
futuris temporibus sub penis supra descriptis obseruandas Et in fidem et testimonium sigillum nostrum appendi fecimus Datum in Wielun Anno
Mense die quibus supra.

Sup nouum fr[illegible] [illegible]
[illegible] seu ord[illegible]

Concordis electio

XXV

Super nouum fratrem Vicarium
[illegible] seu ordinatio

Super nouum frem ordi
natio Domestica et [illegible]
electio

33